



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *DAVAËNSIS PRAELATURA DAVAËNSIS, IN INSULIS PHILIPPINIS,**

AD GRADUM DIOECESIS EVEHITUR Catholicas res magna in Davaënsis praelaturae finibus hactenus, Deo favente, incrementa habuisse causa est praecipua cur postulationi venerabilis Fratris Clodovaei Thibault, Episcopi titulo Canathensis et Davaënsis Praelati Ordinarii, accedendum esse censuerimus, qua scilicet ab Apostolica Sede petiit ut Sedes sua ad dioecesis gradum eveheretur. Non dubitavimus enim fore ut eiusmodi dignitatis accessione vel maiores oriri possent ibi locorum pastoralium laborum fructus. Post ideo auditum venerabilem Praterem Carolum Martini, Archiepiscopum titulo Abaritanum et in Philippinis Insulis Apostolicum Nuntium, deque sententia venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum, sequentia decernimus. Praelaturam *Davaënsis* ad gradum et dignitatem dioecesis attollimus, *eodem nomine* iisdemque servatis finibus, quibus in praesens terminatur. Sedem suam Episcopus in urbe vulgo Davao cognominata statuatur, magisterii vero episcopalis cathedram in templo ibidem exstante, Deo dicato in honorem Sancti Petri Apostoli, quod cathedrale dehinc habebitur cunctisque fruetur iuribus et privilegiis congruis. Sacer autem Praesul praeterquam quod iusta iura ad normam Codicis Iuris Canonici habebit, officiis etiam et obligationibus obstringetur, quae sunt residentium Episcoporum propria. Davaënsis praeterea dioecesim suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Cagayanae et eius sacrorum Antistitem metropolitanano iuri eiusdem Sedis Archiepiscopi subdimus. Praecipimus etiam ut, dum Canonorum collegium constitui ibi non possit, Consultores dioecesani ad normam sacrorum canonum eligantur, qui scilicet a munere cessabunt Canonice rite delectis. Mensa episcopalis, quae dicitur, fiet Curiae emolumentis, pecuniis a fidelibus sponte oblatis iisque bonis omnibus quae hucusque ad Davaënsis praelaturam pertinuerunt. Haec quae iussimus ut ad effectum perducantur curet venerabilis Frater Carolus Martini, quem diximus, vel ab eo delegatus vir, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero negotium perfecit congrua documenta exarari studeat ad Sacramque Congregationem Consistorialem quam primum mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostra documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die un decimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri quarto.*

IACOBUS A. card. COPELLO

CAROLUS Card. CONFALONIERI

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 3, pp. 205-206 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana